

tam ex facultibus, quam ex fide testis idoneus aestimatur. » Non obstat, inquam; nam regula ponitur de iis, quæ frequentius et communius accidunt: atqui frequentius accidit, ut pauperes potius corrumpantur, quam divites; unde et præsumptio juris inde oritur; donec probata pauperis integritate vitæ, fide, moribusque elidatur. Atque hoc ipsum videtur innuere Glossa proxime allata, illis verbis, « Admittitur interdum: » his enim ultro statetur regulam stare in oppositum, etsi « interdum » fallat, seu quasdam patiatur limitationes ad instar aliarum regularum. Farinacius, cit. quæst. 57, n. 3, cum aliis.

97. *Hæc procedit cum primis in causis criminalibus.* — Resp. II. Data conclusio, sive regula cum primis procedit in causis criminalibus, utpote in quibus pauperes, vilesque personæ non solum non censentur testes idonei, atque integræ fidei; sed etiam a ferendo testimonio penitus excluduntur, arg. I. *Nonnulli*, ff. de *Accusat.* ibi: « Nonnulli prohibentur accusare propter paupertatem: ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent. » Et ratio est, quia in causis criminalibus requiruntur probationes indubitatae, I. *Sciant cuncti*, c. de *Probation.* testesque omni suspicione, et macula carentes, cap. I, de *Exception.* cum similibus. Atqui istud non reperitur in teste paupere, utpote cui semper potest opponi exceptio paupertatis; ergo. Mascardus, concl. 1161, n. 11 et seqq.; Farinacius, cit. quæst. 57, n. 15 et 16 et alii.

98. *Ac etiam in civilibus arduis, et magni præjudicii.* — Resp. III. Etiam in causis civilibus arduis, et magni præjudicii, pauperes, vilesque personæ non admittuntur tanquam testes idonei, omnique exceptione majores. Ita Farinacius, cit. quæst. 57, n. 26 et 27, istud exemplificans in causa unius hæreditatis, vel majoris partis honorum, arg. I. *Propter litem*, § 1, ff. de *Excusation. tutor.*; Mascardus, loc. cit. n. 16, allegans Parisium, consil. 188, n. 27, vol. V; Pirhing h. t. n. 77 et alii. Accedit ratio, quia causa civilis tam ardua, tantique præjudicii, æquiparatur causæ criminali, juxta dicta superius n. 81, ergo, cum in criminali pauperes vilesque personæ non sint testes idonei, idem dicendum de causis civilibus arduis, seu magnis.

99. *Secus in non adeo arduis. Ac in instrumentis.* — Dicitur notanter, « in causis civilibus arduis, » etc. Quia in causis civilibus non adeo arduis seu magnis, non penitus

repelli pauperes a ferendo testimonio in judiciis, convincit textus in c. *Si quis testium*, juncta Glossa *¶. Paupertate*, h. t. ubi iudex jubetur mittere ad recipiendum testimonium eorum, qui, « paupertate depressi, » personaliter ad judicem venire nequeunt. Accedit, quod si aliter diceremus, multum angustaretur facultas probandi, contra I. *Quoniam*. C. de *Hæretic.* eo quod multo major sit numerus pauperum, quam divitum; prout argumentatur Farinacius, cit. quæst. 57, n. 13, et Pirhing h. t. n. 76. Huc adde quod in instrumentis pauperes, et viles non repelluntur pro testibus, cum per rogationem repellantur pro testibus, cum per rogationem a partibus tacite censeantur approbati. Farinacius, loc. cit. n. 97, cum aliis.

100. *Imo et in cæteris quoque casibus admittitur pauper ad testimonium, si persona ejus sit honesta, et nequiquam suspecta. Paupertas non est de genere malorum.* — Deinde per hactenus dicta non negatur, quin in cæteris quoque casibus pauper sit admittendus ad ferendum testimonium, si persona ejus cæteroquin sit honesta, et nequiquam suspecta propter suam paupertatem; juxta textum notabilem in cit. c. *Si quis testium*, 8, h. t. juncta Glossa fin. et doctores ibid. ac tenuit Rota apud Rubeum, part. XII, decis. 57, n. 12, auctoritate Baldi n. seqq. referendi istud intelligens etiam in causa ardua, qualis fuit illa, in qua Rotalis decisio emanavit. Quod ipsum procedit, licet pauper sit vilis, si tantum est vilis, quia pauper. Rota loc. cit. Concordat Menochius lib. II, de *Arbitrar. judic.* cas. 96, n. 5 et 6, plures alios allegans. Accedit ratio, quia paupertas non est de genere malorum, can. *Illa cavenda*, 15, q. 1, atque ideo se sola nequit quempiam a ferendo testimonio in totum excludere. Unde regula proxime data solum vult, quod pauper non sit testis adeo idoneus, ut sit omni exceptione major: potest enim contra ipsum opponi exceptio paupertatis, donec hæc probata pauperis integritate vitæ, sinceraque fide elidatur, juxta proxime dicta n. 96. Judicis igitur arbitrio relinquendum est, quantam fidem mereatur testificatio pauperis, attendendo ad qualitatem personæ et causæ. Abbas in cit. c. *Si quis testium*, n. 8, et Felinus ibid. n. 8, et Barbosa n. 4, h. t.

101. *Notabilis objectio contra præmissa, ejusque solutio.* — Juvabit huc adducere notabilem distinctionem Baldi in d. c. *Si quis testium*, n. 5, h. t. ubi quoad propositum sic

objicit, suamque objectionem dissolvit. Ad verum dicendum, inquit objiciendo, quilibet est idoneus natura, nisi se depravet mentiendo; et magis creditur virtuoso pauperi, quam diviti vitioso; ergo. Resp. Aut incidit quis in paupertatem propter vitium suum; et non est idoneus testis: quia non solum rerum, sed famæ suæ prodigus est; et tunc repellitur: quia vitiosus in se, præsumitur vitiosus in alium multo magis, ut notatur in I. *Si aut sine vitio*. C. de *Sentent.* pass. Aut in eam incidit absque vitio suo, simulque existit bonæ famæ; et est idoneus testis. Aut nullius est famæ, neque bonæ, neque malæ; et tunc minus ei creditur, nisi quod deficit in fide, suppleat numerus. Et breviter hæc omnia committuntur judicis arbitrio, quia non potest dari certa descriptio; ut I. III, vers. *Tu magis*, ff. de *Testib.* Ita notanter Baldus.

§ IV.

DE TESTIBUS INHABILIBUS AD TESTIFICANDUM PRO CERTIS PERSONIS; PUTA, PRO FILIIS, CONSANGUINEIS, DOMESTICIS, ETC.

102. *Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, et econtra.* — Quæritur I. Utrum parentes possint esse testes pro filiis, et econtra? Resp. I. Inter eos, qui regulariter prohibentur ferre testimonium pro certis personis, seu in favorem earum, cum primis sunt parentes respectu filiorum, et econtra: nam pater pro filio, et vicissim filius pro patre, regulariter non admittitur testis in judicio. Ita communis; et patet ex I. *Testis*, ff. h. t. ubi dicitur: « Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. » Concordat textus in I. *Parentes*. C. eod. et can. *Si testes*. q. 3. § *Testis idoneus*. et § *Parentes*. Idque merito statutum fuit propter naturalem affectionem, maximamque dilectionem, qua parentes filios, et filii parentes prosequi præsumuntur; sicque eorum testimonium redditur suspectum.

103. *Ampliatur istud ad filium emancipatum.* — Atque istud ampliatur ad filium emancipatum: hic enim non potest in testem produci ad favorem patris, nec econtra Glossa 1. in I. *Parentes*. C. eod. et in can. *Si testes*. q. 4. § *Filio*. Ratio est, quia, licet per emancipationem cessat potestas patris in filium, non tamen cessat paterna in ipsum affectio, ratione cujus repellitur a testimonio. Specu-

lator, tit. de *Teste*. § 1, n. 2; Farinacius, de *Testib.* quæst. 54, n. 154. ubi n. 157. hoc ipsum tenet de filio naturali, ac spurio, citans alios.

104. *Atque ad omnes ascendentes, et descendentes. Parentis appellatione, qui omnes comprehendantur?* — Ampliatur ulterius ad omnes ascendentes, et descendentes, tam in linea paterna, quam materna, et quidem in infinitum. Siquidem « Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur: sed et mater, et avia, et proavia, » per textum expressum in I. *Appellatione*. ff. de *Verb. signif.* Speculator, loc. cit. n. 2 et 3; Mascardus, de *Probat.* concl. 1154 n. 3; Farinacius, n. 54. et alii.

105. *Regula hæc fallit in certis casibus.* — Resp. Dantur nihilominus certi casus, in quibus valet testimonium patris, vel matris pro filio; sicque limitanda est proxime allata conclusio, et regula in ea posita. Ita Mascardus, cit. concl. 1154; Farinacius, d. quæst. 54, n. 177 et seqq. ubi allegatis aliis auctoribus plures tales casus enumerant. Idemque probatur inductione.

106. *Si in probanda filii ætate testes esse possunt parentes; et qualiter?* — Sic imprimis fallit data conclusio, in probanda filii ætate. In hac enim probanda, possunt esse testes ipsimet parentes; utpote meliorem præ cæteris notitiam habentes; prout probat textus in I. *Etiam matris*. ff. de *Probat.* ibi: « Etiam matris professio de ætate filiarum recipitur; sed et avia recipienda est. » Quanquam Glossa ibid. § *Professio*. et Mascardus, concl. 669, n. 12 et 13. et Farinacius, cit. quæst. 54, n. 178, recte notent, quod professio matris de ætate filii non recipiatur ut testis, seu ad inducendam efficacem probationem semplemam ad instar unius testis; sed tantum ejus testimonium faciat ad inducendam quamdam præsumptionem, et leve indicium pro filio. Atque hoc vel maxime procedit, quando talis testificatio matris redundat in commodum filii cum alterius præjudicio. Mascardus cit. n. 12. Simulque non adjuvatur aliis adminiculis, ut puta, libro patris, in quo annotata sit nativitas filii; Farinacius, cit. quæst. 54, n. 180; Mascardus d. concl. 669, n. 15 et 16. ubi notat quod concurrente tali adminiculo mater probet ut testis; Pirhing h. t. n. 34 et alii.

107. *Item, quando agitur causa inter duos filios. Paris affectionis causa, tollit suspicionem*

fraudis. — Fallit secundo, quando causa agitur inter duos filios. Tunc enim pater potest esse testis pro uno filio contra alium: quoniam propter æqualem affectionem paternam, quam erga utramque filium genere præsumitur, tollitur omnis sinistra suspicio, per textum in l. *Non solum*. § *De uno*. ff. *de Ritu nuptiar.* ibi: «*Quia paræ affectionis causa suspicionem fraudis amovet.*» Mascardus concl. 1154, n. 29; Farinacius cit. quæst. 54, n. 205 et alii.

108. *Ampliatur istud ad fratres, consanguineos, domesticos, etc. inter se litigantes.* — Atque hoc servata proportione ampliatur ad fratres, consanguineos, affines, atque domesticos inter se litigantes: quia similiter paræ affectionis causa remouet sinistram suspicionem, cit. l. *Non solum*. ff. *de Ritu nuptiar.*; Glossa c. *Postremo*. 36. §. *Consanguineus*. juncta Glossa marg. ibid. *de Appellat.*; Speculator, tit. *de Teste*. § 1, n. 40; Farinacius, d. quæst. 54, n. 45 et n. 146 et quæst. 55, n. 89 et 92. allegans plurimos alios.

109. *Parentes, aliique consanguinei, possunt testificari in causa matrimoniali filiorum, quando agitur super consanguinitate.* — Fallit tertio in causa matrimoniali filiorum. Quia enim unusquisque suam genealogiam tum ex testibus et scripturis, tum etiam ex recitatione majorum, melius scire præsumitur: hinc, ubi agitur super consanguinitate, vel affinitate quorundam, possunt testificari parentes, aliique consanguinei, c. *Videtur*. 3. *Qui matrimonium, accus. poss.* et can. *De parentela*. 35. q. 6 et c. *Licet ex quadam*. 47. h. t.

110. *Vel contractu matrimoniali, aut sponsalitiæ inter æquales inito.* — Ampliatur istud ad contractum matrimonialem, seu sponsalitiæ. Unde, si filia petat aliquem sibi æqualem in virum, et alterutra parens una cum alio teste asserat, filia suæ ab isto factam esse promissionem matrimonii, vel istud cum eade presenti contractum; tunc ob favorem matrimonii eorum admittitur testimonium, cit. c. *Videtur*. *Qui matrimonium accus. poss.* et c. *Super eo*. 22. juncta Glossa §. *Cum mater*, et Abbate n. 9, et Barbosa ibid. n. 4. h. t. Idemque tradit Farinacius *de Testib.* quæst. 54, n. 191; Mascardus *de Probat.* concl. 1024, n. 23, citans plurimos alios, et Pirhing h. t. n. 36, talem appellans plenam probationem.

111. *Quid si filius in uxorem petat eam, quæ divitiis, nobilitate, etc., longe est præstantior?* — Additur notantem, «*aliquem sibi æqualem,*»

ete, quia si filius in uxorem, aut filia in virum petat quempiam, qui divitiis, nobilitate, potentia et honore longe est præstantior, tunc testimonium parentis de matrimonio deponentis redditur suspectum: sicque non est aliquatenus admittendum, nisi aliæ sufficientes probationes concurrant. Ratio est, quia cum parentes proli sue incrementum, et honorem diligere videantur, imo et ad proprium emolumentum pertinere arbitrentur; hinc attestatio eorum de sponsalibus, vel matrimonio inter jam disparem contracto redditur suspecta, atque ex nimio erga prolem affectu proficisci præsumitur. Accedit textus in cit. c. *Super eo*. 22. h. t., ubi Glossa §. *Cum mater*, et Abbas, n. 8. istud limitans in parentibus valde honestis; et Barbosa, ibid. in *Collectan.* n. 4, id ipsum amplians ad parentes, et consanguineos, qui supra modum de matrimonio solliciti, illius exitum præcupere: hoc ipso enim testimonium ipsorum redderetur suspectum. Hostiensis in cit. c. *Super eo*; ac Speculator tit. *de Testibus*. § 1, n. 4 et 5; et Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II, casu 102, n. 6 et 7. Qui tamen tale parentum testimonium iudicis arbitrio censent esse relinquendum, ut inspecta qualitate personæ, et affectionis, cæterisque circumstantiis iudicet, qualis fides eidem sit adhibenda.

112. *De consensu partis adversæ potest pater esse testis pro filio.* — Fallit quarto de consensu partis tacite, vel expresso. Nam, quando adversarius, contra quem producitur, expressse, vel saltem tacite (hoc est, non excipiendo contra testimonium ejus) consentiret, patrem esse testem, validum erit testimonium patris pro filio, l. *Si quis testib.* C. h. t. cum prohibito illa, ne parentes testificentur pro filiis, sit inducta in favorem ipsius adversarii, sicque hic possit eidem renuntiare, conformiter dictis supra § 1, n. 17 et 18. Mascardus, d. concl. 1154, n. 17; Farinacius, cit. quæst. 54, n. 189, apud quos nonnullæ aliæ fallentiæ videri possunt.

113. *Maritus pro uxore, et contra, regulariter testis esse non potest.* — Queritur II. Utrum conjuges, consanguinei et affines, possint ad invicem esse testes? Resp. I. Maritus pro uxore, ac e contra uxor pro marito suo, regulariter testis esse non potest, sed repellitur ad exceptionem alterius partis. Ita Glossa, can. *Si testes*. 4, q. 3. §. *Imperari*, et alia Glossa, l. *Sed et si quis*. §. *domestico*. ff. *Si quis cautionibus*, etc.; Speculator, tit. *de Teste*. § 1, n. 15; Mascardus, concl. 1429,

n. 1 et 3; Farinacius, cit. quæst. 54, n. 210, allegans plurimos alios. Ratio est, tum quia uxor dicitur viro subjecta, can. *Mulierem*. 33, q. 5. ac proinde merito nequit esse testis pro viro: quia «*idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest (a producente) ut testes fiant;*» prout habetur l. *Inviti*. ff. h. t. simulque uxor censetur esse de domo, et familia viri, ac illius domestica, § *Item is, qui ædium*. Instit. *de Usu et habitat.*, atque ideo repellitur a testimonio, l. *Etiam jure*. C. h. t.; tum quia inter virum et uxorem solet intercedere summa affectio, qua unus conjugum diligit alterum; cum sint duo in carne una, *Genes.* 1, 24. ac proinde, quidquid unus vult et sensit, etiam alter velle et sentire præsumitur, sicque testimonium eorum ad invicem redditur suspectum. Atque hæc posterior ratio est generalior prioribus, et æque militat in viro ac uxore.

114. *Ampliatur istud ad sponsam de futuro.* — Ampliatur id ipsum ad sponsam de futuro: nam et hæc ratione affectionis, quam ad sponsum suum habere præsumitur, a testimonio pro eo ferendo repellitur. Mascardus, cit. concl. 1429, n. 4; Farinacius ubi supra, n. 215, cum aliis.

115. *Ampliatur istud ad concubinam, et amasiam.* — Id ipsum extenditur ad concubinam, et amasiam. Concubina enim non distat ab uxore in affectu animi, sed solum in honore, l. *Item in legato* § *Parvi*. ff. *de Legat.* 3. simulque amor puellarum subvertit verum iudicium; sicque testimonium inde procedens redditur suspectum. Mascardus loc. cit. n. 5 et 6, citans alios.

116. *Consanguinei et affines producentis, non sunt testes idonei adversus extraneos.* — Resp. II. Insuper consanguinei, et affines illius, qui producit ipsos ut testes pro se adversus extraneos, non sunt testes integri, neque plenam probationem inducunt. Ita Speculator, tit. *de Teste*. § 1, n. 14; Farinacius *de Testib.* quæst. 54, n. 1; Mascardus, *de Probat.*, concl. 68, n. 1 et seqq., loquens de affine, et concl. 412, n. 1 et seqq., loquens de consanguineo; Pirhing, h. t. n. 39, intelligens hoc de causis criminalibus, vel civilibus arduis; et alii. Desumitur istud ex textu in l. III. § 1, ff. h. t. et can. *Si testes*. 4, q. 3. § *Testium fides*: ubi inter alia, quæ in persona testis, ut hujus testimonium suspicione careat, examinanda caventur, habetur illud: «*An sit amicus ei, pro quo testimonium dat:*» juncto can. *Consanguinei*. 3, q. 5. De affine id ipsum extat

expressum can. *Absens per alium*. 4, q. 9. ibi: «*Nec affinis estis admittatur,*» cum concordantiis. Accedit ratio: quia tales non carent labe suspicionis, ob naturalem affectionem erga suos consanguineos, seu affines: unde non mirum, quod non sint testes omnino integri, sed possit contra eos excipi, can. *Accusatoribus*. 3, q. 5. cum similibus.

117. *Prædicta fallunt accedente consensu adversarii: quia tunc conjuges, consanguinei, etc., ad invicem possunt testificari.* — Resp. III. Ambæ hæc conclusiones patiuntur nonnullas limitationes. Et primo quidem, eadem fallunt accedente consensu adversarii: nam tum conjuges, tum consanguinei et affines ad invicem possunt esse testes, quando ipsos pars adversa, contra quam producuntur, sponte admittit ad testificandum contra se; sive dein eas admittat expresse, sive tacite, videlicet nihil contra ipsas, ipsarumque testimonium opponendo: potest enim, si vult, renuntiare favori pro se introducto. c. *Si diligenti de Foro compet.*; Joan. Andreas in addit. *ad Speculator.*, tit. *de Teste*. § 1, n. 2, litt. F. id firmans ex l. ult. § fin. C. *de Temporib. et reparat. appellation.*; Farinacius, *de Testib.* quæst. 54, n. 126 et 189; Mascardus, *de Probationib.*, concl. 1154, n. 17, citans alios; et concordant dicta superius n. 17 et 18.

118. *Idem dicendum in factis antiquis, et aliis, quæ sunt difficilis probationis: quia etiam tunc recipiuntur in testes ad invicem.* — Fallant secundo in factis antiquis, eo quod sint difficilis probationis. Barbosa, c. *In litteris*. n. 18 h. t., citans alios. Quin etiam fallunt, seu patiuntur quamdam limitationem in aliis factis, quæ sunt difficilis probationis: seu talia, ut de illis veritas aliter, sive melius haberi non possit, quam per conjuges, consanguineos, affines, quin et parentes vel fratres, ac hujusmodi. Tunc enim tam in civilibus, quam criminalibus, recipiuntur in testes. Farinacius cit. quæst. 54, n. 76, post rotam coram *Cæsare de Grass.* decis. 10, n. 40, et n. 131, ubi in casu, in quo veritas aliter haberi non potest, etiam fratrem pro fratre in testem admitti docet: et quæst. 62, n. 56 et seqq., ubi hoc ipsum generaliter tradit de testibus cæteroquin inhabilibus, et alias non admittendis: quia admittuntur in casibus, ubi veritas aliter haberi non potest; ut puta, si agatur de commissis in domo, eremo, nemore, vel alio secreto, c. *Veniens*. 38, § fin. h. t., et cap. ult., juncta Glossa §. *Juramento*, et doctoribus *de Testib. cogend.* et can. *Si testes*.